

## CASUS MORALIS

### DE PARTU SINE DOLORE ET DE USU NARCOTICORUM

Lucia, quotiescumque ad parturiendum pervenit, maximos atque diuturnos dolores patitur. Medicus, tamquam minus malum, Luciae suadet ut deinceps rem male cum viro suo habeat eique analgesim<sup>1</sup> administret, quod idem saepe facit cum moribundis et cum aegrotis in periculo mortis, ut dolores naturales supprimat.

Cajus, infirmorum confessarius, innixus textu S. Scripturae 'In dolore paries filios', medicum, ob suum modum agendi cum Lucia suaviter reprehendit et usum narcoticorum omnino ei prohibet, quia ita aegroti saepius inconscii moriuntur et aliquando eorum vita abbreviatur. Coeterum et Christus agonizans in cruce vinum felle mixtum respuit ne dolores ejus minuerentur.

#### QUAERITUR

- I. Utrum semper licitum sit suadere minus malum ad vitandum majus?
- II. Utrum mater teneatur acceptare dolores partus?
- III. Utrum illicitus sit usus narcoticorum cum aegrotis?
- IV. Quid de modo agendi Caji confessarii dicendum?

#### SOLUTIO

Ad I. Cum fusius iam alia occasione de hoc tractatum sit in hac ephemeride<sup>2</sup>, breviter tantum hic respondetur. Si malum inferens iam determinatus sit ad malum inferendum vel ab illo inferendo averti non possit, et eodem tempore, agatur de minori malo *ejusdem* speciei, omnes auctores liceitatem suasionis admittunt. Sed si malum hoc esset diversae speciei, auctores discrepant. Pater FABREGAS S.J., innixus doctrinae antiquorum auctorum expresse liceitatem admittit. Praecipuum ejus argumentum est hoc: Minus malum quod suadetur ad impediendum majus, quamvis sit *ejusdem* speciei, in se consideratum, remanet semper malum; et si hoc non imputatur suadenti, hoc fit quia imminutio est mali majoris. Ergo etiam a pari, minus malum quod non est *ejusdem* speciei non debet imputari consulenti quia imminutio est mali majoris.

<sup>1</sup> *Analgesicum*, a Graeco ἀλγός, est remedium quod tollit dolores physicos.

*Narcoticum* est quolibet medicamentum producens *narcosim*; (a Graeco νάρκη) i.e. statum torporis cum amissione sensibilitatis et conscientiae, qui torpor artificialiter obtinetur mediis narcoticis;

*Anestheticum*, a Graeco ἀναίσθητος, est remedium quod tollit sensibilitatem. Cfr Ferrio L., *Terminologia clinica*, Torino, 1899.

<sup>2</sup> Cfr P. Tabone, *Melita Theologica*, Vol. iiii, No. 2, July-Dec. 1950, 99 ad I.

Idem docet JORIO quia, ut ipse ait, 'Quod a suadente enim intenditur est imminutio mali, quod per se bonum est'. NODLIN aliique negant.

Ad II. Circa hanc quaestionem Romanus Pontifex, Pius XII, quem Deus diu sospitem et incolumem servet, die 8 Januarii 1956, allocutionem habuit coram multis honorabilibus medicis in qua praecise loquitur de partu sine dolore<sup>3</sup>. Attamen Augustus Pontifex in hac sua allocutione loquitur principaliter de aliqua nova methodo juxta quam nullum medium artificiale adhibetur ad tollendos partus dolores, sed mater relinquitur in tota sua conscientia a principio usque ad finem partus. Nil tollitur ex matris intelligentia, voluntate et affectu materno, sed mens et voluntas matris ita diriguntur ut dolores, tempore partus, in ea oriri non sinantur. Mater insuper educatur circa dignitatem suam maternam necnon circa aliqua exercitia practica quae partum faciunt. Methodus haec, dicit R. Pontifex in sua constitutione, nihil immoralitatis continet, imo si per eam dolores et timor partus evitantur, etiam diversi actus immorales in usu matrimonii diminuentur. Ergo mater hac methodo mediante poterit dolores partus vitare. Sed quid dicendum si haec methodus, quae *psycho-prophylactica* vocatur, non evadit sufficiens et opus erit mediis artificialibus, analgesicis vel narcoticis, ad dolores auferendos? Ad hanc difficultatem solvendam iterum recurendum est ad aliam allocutionem quam idem Pontifex, die 30 Septembris 1949, habuit ad participantes ad IV Congressum Internationale Medicorum Catholicorum<sup>4</sup>. Pius XII incipit hanc allocutionem dicendo quod medici est omnibus remediis uti ad dolores humanos tollendos aut saltem minuendos; iterum chirurgi est media applicare ad operationes necessarias leniores reddendas, dum ginecologi est dolores partus minuere dummodo hoc fiat sine periculo matris et infantis et sine offendiculo amoris materni.

R. Pontifex consulto utitur verbo 'minuere' quia, saltem juxta aliquos medicos, numquam dolores partus penitus supprimi possunt, quin mater, mediantibus prolongatis narcoticis, ponatur in profunda hypnosi. Attamen in hac methodo haberetur periculum indifferentiae amoris materni erga prolem. Ergo mater tenetur acceptare dolores partus si nulla via adest praeter hypnosim narcoticis prolongatam.

Ex hoc sequitur etiam quod mater potest dolores partus non acceptare, etiam analgesicis mediis adhibitis, si periculum hypnoseos non habetur. Et ad hoc confirmandum atque roborandum idem Pius XII aliam allocutionem habuit ad medicos die 24 Februarii 1957<sup>5</sup>, in qua ipse magna

<sup>3</sup> Cfr hanc allocutionem, in lingua gallica recitatam, in AAS LXVIII (1956), 82-93 et in lingua italica in *Perfice Munus!* XXXI, (1956), 129.

<sup>4</sup> Cfr *Atti e Discorsi di Pio XII*, Ed. Paoline, XI, (1949), 242-8

<sup>5</sup> Cfr AAS LXIX (1957), 129-147, gallice, et *Perfice Munus!* XXXII (1957), 393-409, italice.

dexteritate respondit ad tres quaestiones ei prius positas a IX Congressu nationali Societatis Italicae Anestescologiae, Romae habito, diebus 15, 16, 17 Octobris 1956. Et praecise prima quaestio fuit haec: Utrum existat praescriptio moralis rejiciendi anesthesiam et acceptandi dolorem physicum cum spiritu fidei. Augustus Pontifex respondit quod si infirmus desiderat evitare aut minuere dolorem physicum, potest, tuta conscientia, uti mediis a scientia inventis modo in se ipsis immoralia non sint. Imo, idem Pontifex, allocutionem diei 8 Januarii 1956 prae oculis revocat et repetit quod mater non tenetur acceptare omnes dolores partus rejiciendo omne auxilium analgesicum sive naturale sive artificiale.

Ad III. Haec est praecise tertia quaestio Augusto Pontifici posita a IX Congressu de quo supra<sup>6</sup>. Huic quaestioni Pius XII respondit probari non posse, neque a natura rerum neque a fontibus revelationis, moribundos obligationem moralem habere acceptandi dolorem et rejiciendi quodlibet lenimentum. Attamen si ipse moribundus vult acceptare dolores uti medium expiationis et fontem meritorum ad progrediendum in amore Dei et in abnegatione propriae voluntatis, media narcotica administranda non sunt<sup>7</sup>. Neque administranda nisi ad tollendos dolores, imo moribundi saepius desiderant apud se praesentiam suorum, amicorum, sacerdotum qui illos adjuvant ad bene moriendum. Non semel moribundi manifestant sua desideria, disponunt de rebus suis et dant ultima consilia. Privare moribundos consolationibus istis, prosequitur R.P., repugnat cuilibet homini praesertim Christiano. Ergo usus narcoticorum quae administrantur in hora mortis simpliciter ad tollendam ab infirmo conscientiam ejus finis, est omnino illicitus et reprobabilis; imo si moribundas per narcosis redditur incapax satisfaciendi suis gravibus obligationibus, uti conficiendi testamentum, confitendi peccata sua gravia etc., usus narcoticorum redditur illicitus sive ex parte infirmi sive ex parte medici. Coeterum, ut rectum iudicium efformari possit circa narcoticorum liceitatem, videri

<sup>6</sup> Secunda quaestio de qua in allocutione diei 24 Februarii 1957 erat haec: Utrum effectus a narcoticis producti, i.e. privatio conscientiae et torpor facultatum superiorum animae compatibles sint cum Evangelio. R. Pontifex respondens huic quaestioni ita concludit: Intra limites indicatos (ab ipso Pontifice) et servatis conditionibus requisitis, narcosis quae affert diminutionem conscientiae aut suppressionem ejusdem, permittitur a morali naturali et compatibilis est cum spiritu Evangelii. Limites indicati sunt vera necessitas et subministratio a medico ob finem clinicum adhibitisque cautelis sive a medico sive ab infirmo.

<sup>7</sup> Scito tamen quod dantur aliqua narcotica quae praeter effectum narcoticum continent etiam in se aliam actionem therapeuticam. Si actio haec evaderet necessaria, medicus, ni fallor, poterit hac narcosis uti etiam praeter voluntatem infirmi qui vult dolores physicos pati. Ratio est quia narcotici hoc in casu non administrantur directe ad tollendos dolores, sed ad alium finem therapeuticum indicatum.

oportet utrum narcosis duret per breve tempus, unam horam, vel per longius tempus, totam noctem vel diem, utrum continua vel interrupta, utrum usus facultatum superiorum redeat saltem per aliquot temporis spatium ut moribundus satisfacere possit obligationibus suis. Sed non obstantibus istis obligationibus, si moribundus, propter graves rationes, perseverat in petendo narcosim, postquam aliquis illum invitat ad satisfaciendum obligationibus suis, medicus poterit administrare ei narcosim quin formalis cooperatores evadat in peccato commisso. Hoc enim non penderet a narcosi sed a mala voluntate infirmi.

Istis distinctionibus factis, Pius XII statim transit ad sequentem quaestionem. Quid dicendum si per usum narcoticorum vita abbreviatur? Paucis verbis ita respondit: Quaelibet forma euthanasiae directae est illicita, quia homo non est dominus vitae suae. Si indirecta, h.e. administrata juxta principia duplicis effectus, usus narcoticorum evaderet licitus<sup>8</sup>.

Ad IV. Cajus, infirmorum confessarius, certe totaliter culpandus non est in suo modo agendi. Verum est quod quis sequi potest sententiam eorum qui tenent licitum esse suadere minus malum ad vitandum majus etsi in diversa specie. Sed quando medicus suavitatis suavitatis Luciae ut rem male habeat cum viro ne dolores partus iterum patiat, ipse suggerere intendebat onanismum sive naturale sive forsitan artificiale. Onanismus vero non solum non est res minus mala relate ad Luciam, sed est res intrinsece graviter mala. Atqui nunquam facienda sunt mala ut eveniant bona. Ergo Cajus bene fecit si medicum suaviter reprehendit ne hanc suasionem aliis repetat.

Sed male fecit Cajus si eidem medico omnino, exclusis nempe omnibus casibus, usum narcoticorum, sive cum matre praegnante sive cum aliis infirmis, prohibuit. Etenim si mater vult acceptare omnes dolores partus, bene facit et medicus non potest ei administrare media analgesica; sed si ipsa mediantibus mediis analgesicis, dolores ferre nolit, et hoc facere potest sine ullo conscientiae scrupulo.

Argumentum Caji desumptum ex S. Scripture 'In dolore paries filios' obligationem accipiendi omnes dolores partus non demonstrat. Etenim ex eadem allocutione Pii XII colligere possumus quod poena a Deo lata in paradiso terrestri matri nostrae Hevae et omnibus mulieribus ab ea descendentes non prohibet quominus homo quaerat in res creatas ut ex his beneficia pro vita meliori ducenda sumat. Omnia enim in utilitatem hominis creata sunt in mundo, imo et tota terra subjecta remanet potestati hominis<sup>9</sup>. Insuper Deus hanc poenam parturientibus infingens, non

<sup>8</sup> Cfr etiam P. Tabone, *Ethics of Euthanasia*, Malta, 1950.

<sup>9</sup> Gen. I, 28 ss.

prohibuit neque prohibet eas uti mediis quae partum faciunt atque minus dolorosum reddant.

Idem dicendum est quoad alios infirmos. Si medicus recte utitur methodo technica juxta dicta ad III, non contradicetur neque ordini morali neque spiritui Christiano. Iam diximus quod obligatio acceptandi dolores physicos demonstrari non potest. Neque valet argumentum Caji quod Christus agonizans in cruce respuit vinum felle mixtum ne dolores minuerentur in ipso. Verba Evangelii non significant Deum exigere a quolibet homine et in omni tempore quod Christus fecit in cruce, neque umquam Mater Ecclesia hanc interpretationem dedit. Dolores Christi in cruce sunt fons consolationis, imitationis et fortitudinis pro aegrotis, sed nequaquam obligatio. Fides non minueretur in infirmo si dolores physici non acceptantur, per media licita. Igitur si moribundus omnibus obligationibus suis iam satisfecit, si ultima sacramenta iam recepit, si vera ratio habetur ut ei administretur auxilium narcoticum, si medium hoc accurate quoad quantitatem et durationem iuxta praedicta administratur, si ipse moribundus non contradicit, nil prohibet quominus medicus licite agat, etsi etiam aliqua abbreviatio vitae forsitan praevideatur<sup>10</sup>.

A. TABONE

<sup>10</sup> Ex dictis clare liquet quod male faciunt illi confessarii qui contenti sint lectura textuum scholae Theologiae Moralis. Dato mirifico atque accelerato progressu scientiarum naturalium, scientia moralis non est inquirenda tantum in dictis textibus, sed et in ephemeridibus et in allocutionibus RR. Pontificum et praesertim regnantis R. Pontificis qui singularis moralista est nostrorum temporum. Si hae ephemerides et alii libri ex professo tractantes circa quaestiones sociales hodiernas prae manibus non habentur, confessarii praedicti minus digni ministri evadant ad opus ad quod misit illos Deus.